

1607

*Veneta na-
vigia a pi-
ratis capta.*

enim Soderinam nuncupatam navim, quæ acriter dimicando prædatorium navigium deprefferat, seseque ad vires reficiendas in Cyprum retulerat, cum in occidentem iter arripuisset, duo Anglorum ac Belgarum armata navigia supra Cretam intercepterant, Tunetumque perduxerant. Idemque paulo ante Rubiæ navi contigerat, quam instaurari atque armari a Tunetanis piratis simul cum aliis navigiis ferebatur. Iis itaque nuntiis negotiatores perterrefacti publicam opem implorabant, mari se credere non audebant: inde publicis vectigalibus vastitas ac solitudo portendebatur. Quocirca, ut quacumque ratione mercatorum commodis consuleretur, navigatioque non intermitteretur, Patres laborabant. Ad Hispaniæ atque Angliæ Reges datæ literæ, ut gravissima in re opportuna remedia adhiberent, neve in suis ditionibus ac portibus receptum aut aditum piratis permitterent. Cum Achomate Turcarum Rege per literas perque Octavianum Bonum, legatum, agebatur, ut prædones ex pacis præscripto coerceret, de bitisque pœnis plecteret; neve armata e Tunetanis oris navigia emit- ti sineret. Decretum quin etiam, ut quaternæ naves, ad importandas in Syriam atque Aegyptum merces designatæ, sumptu publico tormentis centumque scloppettariis militibus armarentur, simulque iter usque ad Samonium, Cretæ in orientem obversum promontorium, tenerent; inde divulsæ binæ in Syriam, binæ in Aegyptum profiscerentur. Duo præf- cti a Senatu lecti, Hieronymus Memus, ac Christoforus Canalius; prioribus ille, hic posterioribus datus. At vero dum tres prævalidæ classes mare Ionium insiderent, ducumque imbuti suspicione animi nil aggredierentur, Ferdinandus, Magnus Hetruriæ Dux, magna animo volvens, occulto de Cypri regno invadendo consilia agitabat, ejusque bellicorum appa- ratuum fama per Europam vulgata, cunctos ad se curiositate illectos attraxerat. Nam triremibus aliquot, majoribusque na- vigiis egregie omni armamentorum genere strenuoque milite instructis, Franciscum Montium præfecerat; quem plerique ex Florentina nobilitate præcipui sequuti fuerant. Is Calabri cu- jusdam franciscanæ familiæ viri ductu, itineri se committens, nono kalen. junii Cyprum appulit; Famagustæque obtinendæ summa spe ductus, militum manum exscendere jubet.

Sed

*Hierony-
mus Me-
mus, Chri-
stophorus
Canalius,
navi ad
maria turc-
ica præf-
ecti.
Ferdinan-
dus Hetru-
riæ Dux,
Franciscum
Montium ad
Cypri expe-
ditionem
mittit.*